



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Supellex eius pro reliquijs abripitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

Rosaria persoluat in gratiam vitâ functi , su-  
pra Sacra illa ac preces , quæ non modò in eâ  
Prouinciâ, sed per vniuersi Ordinis domicilia  
indicuntur. Statim atque Ioannes supremum  
ediderat spiritum, Ædituus id signi fecit: quo  
audito, incredibile dictu est, quanti extiterint  
motus . Accurrerunt quippe in valetudina-  
rium affectu ingenti osculandi manus inno-  
centissimi Adolescentis , eiusque se precibus  
commendandi : ac pro suâ quisque religione  
opinioneque, quam de eximiâ eius sanctitate  
aceperant , singuli aliquid sibi vindicabant  
earum rerum quibus fuerat usus. Neque verò  
tum primum, sed triduo ante mortem, abla-  
ta ex eius cubiculo fuerant imagines , quibus  
profsternere se inter orandum aslueuerat , fla-  
gellum quo se solitus verberare , ceteraque  
supellex pia. Iam autem eius indusia, vestes,  
calcei , reliquæque res pro reliquijs abripie-  
bantur. Neque id modò agebant Collegij  
iuniores alumni , sed grauissimi quoque Pa-  
tres , ac Sacræ Theologiæ , aliarumque disci-  
plinarum Professores , qui beneficij loco fla-  
gitabant, hic Rosarium eius, ille libellum tu-  
telarium Diuorum , quos in mensis college-  
rat: alius partem calceorum , alteriusve ali-  
cuius rei, quam ipse vel tactu vel tractatione  
usurpauerat.

Versabantur eo tempore Scholastici cum  
Profes-

Professoribus in Scholâ , cùm Ioanni vita  
erepta est; auditoque æris signo, pars maxima  
dolore liquefacta , vbertim lacrymari , tam  
chari fratris sodalisque iacturâ ; eò magis,  
quòd felicem illius demigrationis exitum  
spectare non licuisset : intermissâ verò lectio-  
ne , in eas se fortunatæ illius animæ laudes  
effudere , quas inueterata sanctitatis opinio  
repentè suggerebat. In his vnis P. Iacobus  
Seccus Lusitanus , creatus deinde Episcopus  
ut succederet Æthiopico Patriarchæ , qui in  
eo itinere decessit , cùm de suggestu id tem-  
poris Theologiam explicaret , auditio signo  
tacitus restitit , oculisque lacrymarum plenis,  
mœroris sui causam auditoribus indicauit;  
ijsque Ioannem laudibus extulit , quas dein-  
de , Româ discessurus in Æthiopiam , hoc illi  
testimonio tribuit:

Ego Iacobus Seccus Sacerdos professus  
Societatis I E S V , affirmo familiariter me  
vsum fuisse Ioanne Berchmanno Flandro-  
Belgâ , in Collegio Romano eiusdem Socie-  
tatis , iuuene insigni vitæ innocentia , animi  
puritate , morumque suavitate. Ob quæ orna-  
menta saepius eum appellauit verum seruum  
filiumque beatissimæ Virginis , quam arden-  
tissimâ charitate amabat ac venerabatur.  
Non raro etiam sub ultimos vitæ menses ,  
cùm Sacro meo ministraret , religioni habere  
cœpi,